



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio II. De Actione Angelica quæ est Locutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

litem ob negationem auxilii poenitendi: Sicque intelligendus est Bern. Serm. 22. in Cantica. S. Thomas hic q. 64. art. 2. Angelorum inflexibilitatem in hoc refert quia supposito quod Deum videant, inflexibiles sunt ad malum, & supposita damnatione malorum, jam illis naturalis est inflexibilitas. Vel certè hoc solum vult S. Thomas, quod Angeli dum aliquid ita noscunt, ut ab illa noticia non moveantur, nec ad aliud, illam transferant, non possunt nisi in oppositum, cum sua voluntate: quæ utpote cæca, non potest ferri incognitum. Talis autem inflexibilitas convenit quidem etiam hominibus, sed ordinariè illis non contingit, propter mobilitatem phantasie & specierum.

Objicit 2. Granado Congruentias.

1. CONGRUENTIA. Quod aliquis sapientior est, melius facienda considerat, difficiliusque propositum mutat. Angeli autem sunt sapientissimi.

RESPONDETUR. Possè contingere ut iudicium prudens dicere possit utramlibet partem æque eligibilem esse, hinc ne contra illud sapiens dictamen nitatur Angelus, flexibiliter utramque partem prosequi poterit. Rursus, nunquid sapientis non est mutare consilium, mutatis circumstantiis.

2. CONGRUENTIA. Quod maximo conatu apprehendimus, ab illo difficillimè movemur.

RESPONDETUR. Negando Angelum ad omnia summo conatu se applicare. Sed hoc etiam posito cur non cum tempore elanguesceret conatus? cumque id adhuc faciat liberè, hoc ipso faciet flexibiliter.

3. CONGRUENTIA. Superbi nimium adhaerent suæ sententiæ, ne agnoscant se malè egisse. Ergo idem conveniet superbiæ dæmonum.

RESPONDETUR. Saltem humiles Angeli, flexibiles erunt. Deinde quid si instinctus superbiæ vacet, neutraque parte inclinet? Denique contingere potest superbo, ut si non muret consilium, magis sit confundendus. Quamquam si res sit de sola difficultate morali mutandi consilii, ea bene concedi potest Angelis.

Objicitur 3. Angelum non posse cessare ab intentione ultimi finis; Ergo adhæret immobilitè mediis. Ergo habet inflexibilem voluntatem sive circa finem, sive circa media.

RESPONDETUR. Negando in primis malos Angelos, esse in perfecta intentione, etiam naturaliter spectati ultimi finis, propter disordinationem illorum. Boni supernaturaliter illi inhaerent, sed de illorum inflexibilitate supernaturali hic non agitur, si autem agatur de intentione naturali, quam habent Angeli circa ultimum finem; hæc illis negari potest, si involvat actualem semper cogitationem de Deo ex principiis naturalibus. Sed etiam hac intentione concessa non sequitur intentum. Ratio, quia

dixi in Ethicis, omni actione honesta versarios suo modo circa ultimum finem, neque tamen in nobis datur inflexibilitas voluntatis: non enim sunt necessitatis media. De his fusius vide Mart. d. 41. Arriaga d. 14.

INSTABIS. Exiis quæ adfert Joan. à S. Th. q. 64. d. 4. a. 2. Angelus utens ad aliquam determinationem principiis evidenter notis, ad omnia quæ per talia principia attingit, fertur unica & indivisibili tendentia, & tanta firmitate, atque attingit, ipsa principia: ita ut non possit ex talibus principiis, novas rationes elicere: quia comprehensive procedit, ex vi talium principiorum. Quod etiam fecit in peccando. Hoc argumentum pluribus inibi diducit.

RESPONDERI potest. Quamvis procedat Angelus comprehensive cognitis principiis, sitque immutabilis in cognitionis suæ assensibus circa talia objecta, inde tamen non sequitur quod sub tali noticia pro sua libertate, non possit subsumere alium actum voluntatis: præcipue cum etiam illa comprehensiva noticia, proponat adhuc indifferenter objectum, quia comprehendit motiva secundum illorum legitimam exigentiam, legitima autem illorum exigentia, non est determinativa voluntatis ad unam nisi partem.

QUÆSTIO II.

De Actione Angelica quæ est Locutio.

Quod locutio Angelica detur, probatur ex Scriptura, quæ frequenter locutionis illorum meminit, ut locuti secum Angelus Persarum cum Angelo Judæorum. Paulus etiam meminit linguæ Angelicæ. Quæ loca nihil vetat accipi prout sonant. Fundatur etiam in hoc dicta resolutio. Quia communicatio notitiæ & sensuum, est bonum cujuscunque notitivi, tribuendum ergo erit potiori jure, ipsis Angelis. Tota difficultas in hoc est, quomodo inter se colloquantur Angeli. Aliquos speciales modos examinabimus. Hos & alios plures videbis ap. Suar. l. 2. à c. 26. Vafq. d. 211. Arriaga d. 12. Mart. d. 39. à n. 6. Franc. Lugo. D. 40. Raynaud dist. 4. q. 1. a. 2.

DIFFICULTAS I.

An Locutio Angelica fiat per signa?

Non moror hic Explicationem eorum, qui censent Angelos secum loqui per signa quædam materialia, cujus sententiæ meminerunt Durandus & Hervæus, sed istud fictitium est: nec locutionem quæ est bonum naturæ intellectualis, proportionat ipsi naturæ intellectuali, cujus est bonum: sicut enim improporionatum est homini per signa spiritualia loqui vel corporalia, sed improporionato modo v. g. glorian-

citando, ad advocandum filium; sic & Angelis, non est naturale, loqui per signa sensibilia. Commodius itaque fieri deberet per signa spiritualia, quam sententiam docet Ægid. Argent. Grego. Marilius, & ex nostris Vasq. cit. propeudet c. 10. Argumentaque in contra solvit Arriagā n. 4.

DICENDUM est. *Recte posse explicari locutionem angelicam per efformationem signorum aliquorum spiritualium.*

EXPLICATUR Conclusio. Sicut locutio nostra fit efformatione quorundam signorum sensibilibus, quibus moventibus sensum, pervenitur in notitiam objecti à loquente communicati, sic etiam illa signa spiritualia, formata, notificant conceptus Angelis ad invicem. Quod ipsum sic ulterius proponitur. Ratio signi non est ita alligata sensibilibus, quin possit etiam ad spiritualia transferri; Ita enim character est signum indelebile, Laureolæ item in plurium sententia. Et sicut ipsæ species non sunt alligatæ ad sola sensibilia: dantur enim etiam spirituales species; Ita & signa, possunt esse non alligata, tantum ad sensibilia. Ex alia parte de spiritualibus sic est dicendum, nisi ratio veter, ut nos manuducant visibilia ad invisibilia; alias nec notitia nostra dependeret à phantasmatibus, nec discursus nostri procederent à magis notis, ad minus nota. Porro ex sensibilibus, una est non nisi locutio humana: In humanis autem locutio, signis perficitur. Et sicut in humanis non qualibet qualitas est instrumentum loquendi sed sonus, & quidem non qualibet, sed articulatus, qui ore profertur, & quidem non quomodocunque ut pſittaci garrunt, sed qui procedit ex intentione aliquid significandi, tali qualitate, ex primi Polit. c. 2. Idem cum proportionem in locutione spirituali contingit, in qua non omnis qualitas spiritualis, est illud signum, nec à quacunque potentia, & quocunque modo productum, sed ex intentione significandi.

PROBATUR Conclusio Argum. negativo. Quia si nihil obsit debemus explicare invisibilia per visibilia, cumque visibilis locutio fiat signis, nec obsit fieri spirituales per signa spiritualia, interiri debet sic illam fieri. Vis probationis fiat, solutione Argumentorum.

OBJICIT Suarez. Non est explicabile quid sint in entitate hæc signa: non enim sunt actus vitales; deberent enim esse in intelligente: jam autem nec in loquente esse possunt: Nam per illa signa cognosceret, non nisi ipse loquens, si vero sunt in audiente, non possent ab ipso fieri loquente: non etiam sunt solæ species intelligibiles, vel habitus, vel qualitas nobis nota: quid ergo?

RESPONDETUR. Signa spiritualia nec sunt actus vitales, nec species, nec habitus &c. & tamen sunt verè signa, idem in præsentī dicendum. Sunt ergo illa signa qualitates spiritua-

les, quas format è re nata Angelus loquens, in eoque genere qualitatis reponibilia, in quo reponitur character, cujus qualitatis effectus formalis, sit, notificare mentem dicentis. Quod autem dicit Suar. nos principis fidei duci ad credendam illam qualitatem; est enim de fide dari characterē, id non convincit, quia supposito articulo fidei, bene Christianus Theologus infert, quòd non repugnet signum spirituale, ulteriusque etiam manifestativum mentis, alius Angeli. Quamvis autem non meminerit Aristoteles talis qualitatis, parum refert; quia ille divisit res, quantum illi erat necesse ad finem intentum à se tradendorum, sufficitque quòd ad qualitatem ut sic, signum illud possit revocari.

OBJICIT 2. Idem. Non est explicabile quomodo significant illa signa, sintque medium cognoscendi mentem dicentis: vel enim sunt medium cognoscendi cognitum, vel incognitum? neutrum dici potest; non sunt quidem medium incognitum, quia non sunt species intelligibiles: Si autem sunt medium cognitum, vel repræsentant naturaliter, ut fumus ignem; & hoc non potest dici, nam omnis naturalis significatio fundatur vel in formali similitudine, vel in aliqua necessaria connexionem inter signum & signatum: qualitas autem illa, non est formalis similitudo: nec etiam dicit necessariam connexionem inter signum & signatum; quia hæc connexio, non potest esse, nisi in aliquo genere causæ, vel effectus: nec pura connexio relativa ad hoc sufficit; quia nunquam potest esse una relatio, signum, per quod in cognitionem termini, vel alius relationis perveniatur. Non etiam potest dici, talia signa esse ad placitum: Si enim unusquisque Angelus sua signa ad significandum imponit, aut illa impositio ab aliis ignoratur, sensusque illius nescitur, & sic est inutilis; Vel cognoscitur mediante cognitione ipsius instituentis tale signum, & sic opus est, ut prius habeantur signa, per quæ loquatur de illis ipsis. Cumque illa impositio sit futura libera, non poterit cognosci, sine locutione. In nobis aliud est, in quibus datur locus nutibus designando rem, ut cum homines in infanzia per nutus linguam discunt; in Angelis autem nulli sunt spirituales nutus.

RESPONDERI potest. Quòd illæ qualitates sint signa ad placitum; quòd ipsum placitum manifestatum signis inante à Deo positis, quæ signa erant quasi lingua communis, quo etiam modo probabile est Deum egisse, dum sub initium mundi infudit linguam Evæ & Adamo communem.

Sed est & alius ad hoc dicendi modus, quòd talia signa sint significativa ex natura sua, & quòd sint signa cognita, quæ tamen non sunt fundata in formali similitudine, sed in necessaria connexionem, non quidem entitativa, qualis est inter causam & effectum, sed in connexionem signi & signati, qualem habitudinem dicit

P.
MLOD
OWSKI
d. e. Z.
VI

character, laureola. Potestque dici illa liberè produci tunc cum vult loqui Angelus; & sicut per Salaz Tomo 1. in 2. Tr. 2. d. 8. 53. n. 61. & Lug. de sacram. d. 6. n. 38. character est signum naturale, ita & in presenti.

OBJICIT 3. Effectio talium signorum vel est necessaria vel libera, si necessaria, & semper existentia sunt. Ergo à quolibet in mente dicentis noscerentur, & tamen locutio est bonum creaturæ rationalis, non nisi casu, quo velit, se manifestare loquens: non etiam potest dici effectio talium signorum libera; quia vel fierent per actus voluntatis, aut per illos ipsos actus quos fortè Angelus, per talia signa vult manifestare. Non primum: quia Angelus per suum velle, non potest efficere qualitates, & si sua voluntate non possunt efficere qualitates corporales, multò magis spirituales non efficient: quia hæ sunt perfectiores: non etiam illa signa facere potest per actus illos, quos fortè manifestare vult; quia actus immanentes, non sunt activi qualitatibus quæ non sunt principia similium actuum ut sunt habitus &c. Et cum illis qualitatibus esse signa sit accidentarium, & ex impositione, non est unde possint illi actus habere vim efficiendi tales qualitates. Immo si actus illi ex natura sua essent effectivi talium qualitatibus, æque illas producerent, etiam si ad significandum impositæ non essent, quod videtur difficile; cum illæ qualitates non ordinentur ex natura sua ad perficiendas potentias intellectus vel voluntatis, in suo munere. Immo quidquid tales actus producere possunt, in ipso operante, non liberè, sed naturaliter producant, ita ut ille actus liberè fiat, tamen jam ipse actus eo ipso quod est, naturaliter facit, quidquid facere potest.

RESPONDETUR. Illa signa liberè fieri, sed non fiunt ab actibus qui noscendi erunt: Nam ut dixi in Animasticis nulli actus sunt productivi etiam habituum, sed producuntur ab ipsis potentiis, licet prædispositis per elicentiam actuum. Proportionatè itaque ad locutionem humanam dici potest illa signa mediatè produci à voluntate, immediatè autem à potentia locutiva, consimili ei, quæ est in nobis. Negoque quod illa signa producere, superet illam locutivam, cum ad illa producenda ordinetur.

OBJICIT 4. Non potest ostendi in quonam subiecto principali seu supposito hæc signa fiunt: Si enim fient in Angelo audiente contra erit, quia unus in alio, non habet vim efficiendi ullam qualitatem: non etiam fiunt in ipso loquente: non enim posset excitare alium ad auditionem. Deinde quomodo posset secreto loqui, ut si velit loquens, unus audiat, non ceteri. Si autem sunt signa quædam communia omnibus & præter hoc particularia pro singulis, incredibilis multitudo signorum poneretur.

RESPONDETUR. Hæc signa produci in ipso audiente, modo contineatur intra sphaeram lo-

cabilitatis Angeli loquentis: Nam ultra hanc sphaeram, nihil potest producere. Negandum item est, tales qualitates non produci in audiente, cum illarum productionem exigit bonum communitatis rationalis, quod est locutio, quæ non probatur, quod his signis perfici non possit. Aliud est de qualitatibus corporalibus: Harum enim productio non adfert bonum ullum communitati spiritali quæ tali, sicut adfert locutio. Concedi etiam posset, quod præter signa generalia dentur particularia: hoc autem non dedecet Angelos, sicut decorat homines pluralitas linguarum. Concedit Arriaga, quod si sint æque præsentibus non possint ita secum loqui, quin audiant alii præsentibus, id autem non obest, sicut non obest locutioni humanæ. Sed commodè dici posset quod pro omnibus Angelis sint signa non nisi communia, secretè tamen poterunt loqui, quia illi soli significabunt, in quo producuntur. Quod autem dicit Suarez, si concedantur signa generalia & particularia improbable hoc esse & imperfectum, utrumque probandum fuit: Et sicut non est imperfectum si per miraculum unus loquens à pluribus intelligatur, sic nec in presenti. Immo si sine ulla confusione duas linguas aliquis loqueretur non esset ingratum quid, sicut nec sunt ingrati plures soni ejusdem organi: Sic nec ingratum foret si in pluribus simul Angelus unus, efformet signa, singulisque loquatur. Sed quot Angelis simul loqui poterit? Tot quot non superant numerum illorum objectorum, quæ simul noscere potest Angelus, vel velle, ita ut proportionentur manifestativa, cum manifestabili. Imò Angelo occupante totam sphaeram suæ locabilitatis, non erit necesse transmittere per medium vim ad producenda illa signa; ob immediatam enim utriusque præsentiam, datur locus immediatè & non per medium transmittendæ vis alicujus ad producenda signa. Ipse Suarez ad salvandum quomodo secreto loqui possint Angeli, hunc tradit modum, ut scilicet loquens prius efficiat signum in se, & per illud imprimat speciem ejusdem signi in audiente: Sicut nos in ore formamus vocem & speciem in auditum alterius immittimus.

OBJICIT 5. Idem, quia non est explicabile quodnam sit subiectum proximum talium signorum; maxime enim esset intellectus: quia locutio est operatio facultatis rationalis, similiter & auditio; jam autem intellectus, non videtur proportionatum subiectum talis qualitatis: quia illa non est operativa: quia non est species intellectualis operationis; Intellectus autem, solum est subiectum capax operationis suæ, vel qualitatum, quæ sunt illius principia.

RESPONDETUR. Cum potentia Angeli sint indistinctæ ab ipsa potentia Angeli, recipiuntur hæc signa in substantiâ Angeli, licet producantur

habentis denominationem intelligentis propter mox dicenda. Licet enim absolute loquendo impositio humana non determinet sibi subiectum naturale, cui inhaerere debeat, consequenter & illa signa, si sunt signa ad placitum, nihilominus aliunde id deposcunt, ut scilicet instrumentum loquendi manifestans conceptum alius, sit penes principium cui manifestat, quæ qualitas seu signum licet non sit fortè immediata operativa intellectus, sufficit quòd opere tur mediatè, in quantum determinat intellectum ad formandam speciem expressam illius objecti, quod manifestat. Ad solvendas alias objectiones

NOTO 1. Signa illa esse transeuntia, ad eum modum, quo & nostra, dependereque sicut in actuali productione, ita & in suo conservari, ab efformatione. Cumque finis illorum sit, ut manifestent conceptum loquentis, quando hunc finem ponunt, non petunt jam ulterius durare.

NOTO 2. Dupliciter illa signa posse formari. In primis ut faciat signum, quo dicat se hoc cogitare, & eo casu non videbitur conceptus loquentis in seipso: poteritque salvari quomodo possit unus alium fallere mentiando producendo signum de asino, cum cogitat de bove. Sed quomodo æquivocabunt? producent signa ad placitum duplicem significationem habentia. Immo posset dici etiam, posse dari signa naturalia duplicem significationem importantia, cur non enim hisque æquivocabitur? sicut potest idem esse, à diversis causis produci, cumque illis rectè. Secundò potest formare signa, quibus dicat intueri meum conceptum, quem de hac re habeo in illo me ipso, & tunc videbitur conceptus loquentis, in seipso. Non debemus autem etiam priorem modum loquendi negare Angelis: quia nihil absurdi involvit, commodus est, ut mali inter se mentiri possint, & boni æquivocare. Si enim in illismet ipsis semper videntur conceptus, nec mendacio, nec æquivocationi dabitur locus. Cumque illa signa immediate fiant in intellectu audientis, & sint talia, ut non possint principiare sui notitiam, nisi in eo, in quo fiunt, salvabitur ut alter Angelus, non tantum nesciat quid loquatur unus alteri, sed nec sciat, quod loquatur. Quare autem signa non nisi ei manifestent in quo producuntur. Ratio est: quia hoc ipso quòd producantur de potentia huius Angeli, sunt nonnisi bonum huius Angeli, ad eum modum, quo calor productus ex materia A. non est bonum nisi materiæ A. Sed quid fieri Michael prodat Gabrieli, quomodo cum illo loquatur Raphael, hoc fieri quidem potest, sed cum loquens Raphael, producit signa in Michael e cum illa non producantur in Gabriele, nesciet quod loquatur Raphael, nec loquetur Gabrieli, sed Michael manifestabit Gabrieli, quid audiverit à Raphaële, utendo illismet ipsis signis.

NOTO 3. Qui diceret concreatas esse sine exceptione omnium rerum noscendarum species Angelis, admitteret concreatas species etiam illorum signorum; qui autem tribueret intellectui vim producendi species vel de novo acquirendi, diceret positum primum illis signis, tum primum fuisse species fabricatas. In quarum fabricatione, non est necesse imaginari fatigationem aliquam in Angelis secuturam, sicut nec sequitur in objectis, dum illas emanant, contingereque potuit ut si sint signa ad placitum, plures etiam convenerint in iisdem condendis signis, ita ut in aliquibus etiam quoad sensum, in aliquibus nonnisi quoad materiale signi convenerint: hoc enim reperitur etiam in linguis nostris. Quamvis autem homines sint ita sagaces, ut investigare possint occultissimos quosque characteres, non poterit tamen unus Angelus investigare locutionem alius: quia nec signa ipsa videbit, quæ nonnisi in intellectu audientis principiant auditionem, & investigatis etiam signis cum in illo à loquente hinc & nunc non producantur, nec dicetur audire. Fortè etiam nisi accedente manifestatione, & depulsione juris secreti, non habet unus jus ad noscenda signa, quæ efformantur & educuntur, de potentia illius.

DIFFICULTAS II.

An per Productionem speciei, Directionem, que voluntatis perficiatur Locutio Angelica?

SUAREZ c. 27. à n. 32. ita explicat Locutionem. Quòd scilicet unus Angelus, non tantum permittat ut sui actus videantur, sed etiam illum excitat, ut audiat. Quæ excitatio per illum, fit, per productionem speciei impressæ. Hic modus cæteroqui communis, patitur hanc difficultatem. Quia non videtur salvare formalem rationem Locutionis: Si enim Deus creans species objectorum, ea intentione, ut illa sint manifesta Angelis, non dicitur illis tunc loqui; immò nec tunc loqueretur si infunderet sui speciem impressam spiritualem, cur ergo diceretur Angelus loqui ratione illius productæ speciei? *Hinc*

EXPLICATUR 2. Locutio Angelica à Capreolo, Cajet. Arriaga cit. n. 25. Martinon cit. n. 37. Franc. Lug. d. 11. c. 4. Raynaudo dist. 4. q. 1. a. 7. à n. 137. & post illos ab Esparza q. 21. Qui docent Locutionem perfici non alio, nisi quia Angelus vult manifestare actum suum, ita ut accedente ordinatione voluntatis, quæ removel sigillum secreti ab illo actu, hoc ipso hic quidem loquens, ille verò audiens reddatur: & sicut ob defectum huius voluntatis, actiones internæ clauduntur sigillo secreti, estque de illis ut ita dicam silentiis; ita posita ordinatione voluntatis removetur illud sigillum, quo remoto, manifestatur

cogitatio; manifestatioque illius activa, vocatur locutio, manifestatio autem passiva, vocatur auditio: quæ ipsa ordinatio ut simpliciter ordinatio est, non est locutio, sicut & in nobis ordinatio, quâ ordinamus nos locuturos amico, non est locutio, sed erit; tamen in quantum est sequens hanc ordinationem manifestatio actualis conceptus, illa est formaliter locutio. Unde possemus hic condistinguere duplicem volitionem; quandam antecedentem stantem in hoc imperio; volo manifestur; & aliam; nolo hoc tibi esse occultum, vel: volo hoc tibi esse manifestum; in hacque posteriori, stabit locutio.

DICENDUM EST. *Predicto etiam modo, posse perfici locutionem Angelicam.*

PROBATUR Argumento negativo. Quia scilicet nihil obest, quo minus etiam ita loquantur. Sed in oppositum

OBJICIT I. Vasquez, difficile est quomodo sola voluntate loquentis Angeli, secretum voluntatis seu intellectus, quod antea omnino ignotum erat, alteri Angelo, nulla facta in ipso mutatione, nec aliqua re in ipso loquente, aut audiente producta, fiat manifestum. Nam res aliqua in se omnino non mutata, eodem modo comparatur cum intellectu nunc & antea. Mirabile namque esset, si propter respectum aliquem extrinsecum, quem a voluntate acciperet, fieret intelligibilis. Respicit hoc argumentum illud principium; Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione.

RESPONDET Arriaga. Mutationem tunc esse ratione speciei, de actu, productæ, non quidem ab ipso actu, ut voluit Suarez, sed ab ipso Deo. Sed hoc est salvare locutionem per speciem potius, quàm per directionem voluntatis. Mart. & Rayn. admittunt tunc fieri motum vel impulsus spirituales, ut ita excitetur ad audiendum: sed hic ipse motus & impulsus spiritualis indiget magna explicatione, & fortè difficiliori quàm sit ipsa locutio Angelica. *Hinc aliter*

RESPONDETUR. Quod posita ordinatione voluntatis, quâ dirigitur ille actus ad notitiam alterius, removeturque sigillum secreti, hoc ipso species præexistens (si fortè simul tunc illa non producitur) determinatur extrinsecè, vel potius completur ut representet actum illum, qui noscendus ordinatur, ut præsentem. Et licet illa directio sit extrinseca intellectui & speciei audientis, nihilominus potest determinare illam speciem, ad eum modum, quo licet futuritio rei sit extrinseca Deo, nihilominus determinat Divinum intellectum, ut objectum illud noscat, approximatio passiva ejusque debita dispositio, est extrinseca causæ, & tamen determinat causam necessariam ad agendum. Terminus item est extrinsecus fundamento, quod determinat ad referri. Et licet in illis actibus ita manifestatis nulla fiat mutatio in entitate, sit

tamen in primis mutatio moralis; nam antea claudebantur sub moralis dominii signaculo secretoque; nunc autem removetur illud sigillum, redditurque proximè noscibile, cum antea fuerit non nisi remotè noscibile. Deinde fit mutatio in circumstantia: quia ante directionem voluntatis ille actus dicebat, non positionem volitionis de manifestando actu; quæ circumstantia aufertur, positione actus voluntatis, de manifestando. Quando autem S. Th. requirit novam virtutem quandam intelligibilem, per quam excitetur audiens, intelligendus, non de nova aliqua entitate vel specie: sed de nova determinatione, completionem, facta ratione variatæ circumstantiæ; ita ut Angelus à non esse loquentis, ad esse loquentis, transeat per suum actum voluntatis, auferentem non positionem volitionis, de manifestatione.

INSTAT I. Vasquez. Si illa voluntas dirigens secretum cordis nihil variat, quomodo id quod antea non pertinebat, jam deinceps pertinet ad alium Angelum.

RESPONDETUR. Negando tunc non variari circumstantiam objecti jam explicatam.

INSTAT Idem. Si sufficit directio voluntatis, ergo sequitur actum amoris quo Angelus A. versatur circa Angelum B. esse illi etiam notum. Nam non minus est de numero eorum qui pertinent ad illum, ac post directionem voluntatis, pertinet ipsum secretum cordis.

RESPONDETUR. Pertinentiam amoris ad Angelum, esse pertinentiam tanquam ad objectum & terminum, sed non esse tanquam manifestabilis, ad eum cui manifestatur. Estque ille amor adhuc secretus, quia circumstantiatur non positione voluntatis ad manifestandum.

INSTAT 3. Locutio per Patres, est actus intellectus.

RESPONDETUR. Locutionem esse duplicem. Primò quæ est expressio objecti, & hæc semper est actus intellectus, & alia est locutio, quæ est manifestatio activa seu directio, ut alius habeat speciem expressam objecti, & sic non est proximè actus intellectus, dependet tamen ab eo remotè: sicut dependet etiam, nostra locutio externa.

OBJICIT 2. Suar. c. 27. n. 20. Immerito supponitur actus cordis occultari Angelo, per solum velamen voluntatis: quia hoc est ex natura rei: quod ipsum probat; Quia deberet illud objectum, esse actu intelligibile de se, habetur illius species, cum lumine sufficienti, ad cognoscendum illum actum, si non impediatur. Ergo non potest intelligi, quod per solam voluntatem alterius impediatur notitia illius objecti: talis enim voluntas nec objectum immutat, nec potentiam alterius ligat, nec aliquid extra se operatur, quomodo ergo potest occultare tale objectum?

RESPON.

RESPONDETUR. Conformiter ad dicta supra, quod de facto defendi possit, non dari species concretas talium actuum, sed illas tum primum poni. Sed etiam posito, quod concretetur species secretorum, posset adhuc defendi quomodo sola voluntas illos actus constituat in ratione secretorum: quia de facto & Deus tanquam Auctor naturæ ordinat, & bonum creaturæ intellectus id deponit, ut actus illius in terris, in ordine ad nosci ab alio, sint dependentes: Ita ut mutetur illud obiectum ratione circumstantiæ, non positæ volitionis de manifestando: & quamvis illa volitio non reddat obiectum quoad entitatem, magis intelligibile, reddat tamen proximiis intelligibile, auferendo circumstantiam dictam, tanquam invehentem secretum. Dupliciter autem potest se habere voluntas ad inducendum secretum. Primum præcise per actum positivum voluntatis quo dicat: Nolo hoc ab aliis sciri. Secundum potest induci negativè h. e. per non positionem actus voluntatis de manifestando. Uterque hic actus est sufficiens ad inductionem sigilli: Sed ille prior non est necessarius: non sunt enim multiplicanda entia sine necessitate: nulla autem necessitas illius positivæ voluntatis, ad inductionem secreti: poneremusque tædiosam repetitionem in Angelo, nolo hoc nosci, nolo hoc nosci. Essetque id in fraudem Angeli: quia si aliis attentio excideret illi facere illum actum, hoc ipso maneret ab aliis cognitus.

INSTAT Suarez. Si secretum stat in occultatione per solam voluntatem, posset unus Angelus alteri occultare suam substantiam & se facere illi invisibilem.

RESPONDETUR. Completivè occultatio fit per voluntatem, sed non præsuppositivè: supponit enim aliunde materiam talem, quæ possit occultari: Non potest autem occultari ipsa substantia; quia non potest esse bonum naturæ rationalis non nosci suam existentiam, & cum ipsa sui existentia exeat ut ita dicam, in theatrum naturæ, est extra jam dispositionem, ut possit nosci vel non nosci. Nec deponit hoc universum rationale, ne suæ substantiæ noscantur, deponit autem, ne noscantur actus.

Quando autem redit Suar. ad illud principium: quia sine excitatione non est intelligibile quomodo alius Angelus ad audiendum inducatur: ad hoc jam responsum est. Sufficere solam extrinsecam excitationem, avulsionemque sigilli ab actu, & sicut cum obiectum habet existentiam, determinat, vel potius complet speciem ut possit in notitiam exire sine ulla excitatione extrinseca, ita & in presenti.

OBJICITUR 3. Si locutio mentalis posset esse actus voluntatis, non bene colligeremus secundam personam accipere ex vi processionis intellectus Patris, idque ex eo quod procedat ut verbum per dictionem.

RESPONDETUR. Tunc non nisi locutionem perfici volitione, quando ipsum obiectum manifestandum, subditur dominio ipsius loquentis, liberæque ejus dispositioni. Et quando ad maximum est in potestate unius, dirigere illam notitiam ad alium. Jam autem ne Pater loquatur Filio, ne illi communicet naturam, quæ intellectio est, non subest id potestati Patris: nam ex necessitate, inclinatione, determinationeque naturæ, sequitur illa fecunditas in Divinis, quæ primum exercetur locutione.

Quomodo in hac sententia unus possit mentiri alteri, explicatum ubi de locutione per signa. Poterit autem simul pluribus vel uni loqui: quia poterit ad plures vel ad unum velle dirigere suum conceptum. Jam autem tam loquens in loquendo, quam audiens servabunt suam libertatem: Prior, quia poterit velle vel nolle dirigere suum conceptum. Posterior autem: quia poterit nolle uti & nolle applicare mentem ad penitus noscendum, alioque transferre cogitationem.

Sed potestne audiens omnino ignorare, id, de quo sibi fit locutio?

Multi censent non posse: quia habet omnia requisita ad agendum. Commodius dicitur quod sicut objecta sensibilia, ita & spiritualia habent vim occurrendi intellectui, pro occursum posito, non potest non generari aliqua saltem confusa notitia obiecti: quia ad hanc confusam notitiam habet omnia requisita. Sed potest nolle scrutari penitus, alio transferendo mentem. Unde occursum illo obiecti posito Deus tanquam Auctor naturæ obligatur ad dandum concursus, ut saltem confuse attendat ad id quod alius illi loquitur, cujus oblatio concursus fundatur in exigentia, quæ exigitur notitia à potentia necessaria, posita cum suis prærequisitis, & quæ exigitur bonum locutionis, à natura rationali.

DIFFICULTAS III.

Proponitur alius modus Locutionis Angelicæ.

PRÆMITTO I. Nomine locutionis communiter venire, manifestationem mentis alteri. Dixi potius mentis quam conceptus. Quia cum locutio possit fieri non solum circa manifestandos actus intellectus, sed etiam circa actus voluntatis, commodius in rigore loquendo usurpatur hoc nomen mentis quam conceptus. Quia ly conceptus magis est nomen restrictum & appropriatum actibus intellectus: quia intellectus proprie concipit gignitque intentionaliter, ly autem Mens in communi etiam phrasi supponere potest pro voluntatis actu. Ut cum dico accidit hoc ad mentem meam, hoc est secundum appetitum. Item Mens mea est hoc vel illud dare. Ubily mens supponit pro volo.

PRÆMITTO 2. *Manifestationem hanc mentis alteri Angelicam, utpote nobis ignotam, debere explicari per notioem nobis locutionem nostram. Et quidem notior est nobis locutio externa nostra, quia sub sensum cadens; sed nota nobis est locutio nostra interna, quam etiam in nobis experimur.*

Quod ipsum, sic explicatur, potentia humanæ, in particulari intellectus non solum hoc habet, quod possit elicere actus specie distinctos qualis est prima, secunda, tertia operatio, itemque actus specie distinctorum objectorum notitiosos; sed etiam habent modum versandi alium & alium; & quidem non solum eum, qui stet in hoc, quod est clarius vel obscurius idem penetrare, sed etiam in modo, suos actus formandi; & sic alio modo experimur nos habere cum consentimus, aliter cum dissentimus. &c. Sic etiam potest haberi modus formandi aliter & aliter verbum mentis & locutionem internam. Porro aliter verbum mentis nobis & per ordinem ad nos formamus, & aliter per ordinem ad alios: cum enim aliquis sibi loquitur, sibi format manifestationem & representationem objecti, illa in hoc stabit solo præcise, ut prædicata quæ objectum in re continet, transferat in se intentionaliter. Si autem mente loquatur alteri, non format semper sibi hunc conceptum vellem hanc meam mentem v. g. Petrum noscere, sed format directe ipsam locutionem internam, talia formando verba mentis, quæ imbibunt expressionem ad alium, suoque ordine, ad alium vergunt. Ita ut talis modus sit internus ipsius illius cogitationis & actionis intentionalis, qui faciat hoc intentionaliter, experimatque æquivalenter, quod exprimunt formaliter illa verba extrinseca; Hoc tibi dico. Clarius huius explicatio petitur magis ex ipsa experientia internæ locutionis, quâ nos præcipue irati, vel parantes loqui, colloquimur cum aliis internè; ita ut videatur illa locutio præter expressionem objecti, dicere ordinem manifestationis objecti non sibi sed alteri, respondensque ut dixi his verbis; hoc tibi dico: hoc tibi manifesto &c. Erit ergo constitutivum illius locutionis, ipsa conditio verbi mentis, talem ordinem dicens.

PRÆMITTO 3. *Locutionem internam cum aliis, duplicem ordinem dicere ad illos alios. Primus ordo nectens ipsum verbum mentis cum alio, tanquam cum objecto: & hic ordo non est constitutivus locutionis: nam reperitur in omni nostro actu intellectus, cum tamen non omnis actus intellectus, sit locutio. Secundus ordo est, qui nectit manifestationem cum alio per titulum ordinis, ut percipiatur objectum, perque conditionem verbi mentis, talem ordinem dicentis. His præmissis*

DICENDUM est. *Loqui Angelos prædicto modo, ita ut illa locutio sit non aliud, quam intellectio*

Angelica, quæ ponit intellectualem manifestationem conceptus alteri, eo verbo, quod de se dicat ordinem ad alius notitiam, responderetque huic vel simili verbo externo: hoc tibi dico. Videtur hæc sententia in hoc saltem doceri à Vasquez d. 211. c. 11. Quia ille locutionem ponit etiam esse intellectioem, licet hoc longè aliter explicet.

PROBATUR 1. Auctoritate Patrum quos adfert cit. Vasq.

Theophilactus explicans illud Pauli si linguis Angelorum loquar, inquit, *siquidem potentia quadam intelligendi, quâ invicem dicunt, communicant sensu, Angelorum est lingua.*

Theodoretus in eundem locum, *Angelorum autem linguis, dicit, non quæ sensu, sed quæ intelligentiâ percipiuntur per quas & universorum Deum laudant & inter se differunt.*

Beda l. 2. in Job c. 7. explicans illa verba, si subito apparuerit aurora. Quod volunt, inquit, subito enuntiant, enuntiatio autem, intellectio quædam est.

Sed asserri insuper possunt Auctoritates S. Thom. qui Locutionem de linea intellectioem esse dicit, & non requirit aliud excitativum intrinsecum audienti.

In primis q. 107. a. 2. in corpore; Quamvis meminerit ordinationis conceptus, quæ fiat per voluntatem, loquitur tamen de voluntate, quasi antecedenter movente intellectum, ut talem conceptum formet. Ad tertium enim, inquit, *sicut ergo per signum sensibile excitatur sensus; ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens Angeli ad attendendum, quæ virtus intelligibilis est formalis locutio. Ex quo*

Inferes. Cum locutio sit virtus intelligibilis, hoc ipso erit partus intellectus.

Et in secundum Dist. 11. in secunda p. textus q. 1. art. 3. ad 4. dicit, quod quando unus Angelus vult alteri loqui, sit signum, inquit, *expressum interioris conceptus & talis expressio vocatur locutio; non quidem vocalis, sed intellectualibus signis expressa.*

Quod autem non sit necessarium ullum excitativum intrinsecum audienti colligitur ex q. 9. de verit. art. 5. ad 2. Angelus loquens, inquit, nihil facit in Angelo cui loquitur, sed fit aliquid in Angelo ipso loquente, & hoc ab alio cognoscitur. L. 2. ad Anibaldum dist. 10. q. unica a. 4. ad 3. Quando aliquis Angelus ad alium convertitur, ut cum alloquatur, ipsa conversio ab alio Angelo cognoscitur, tanquam ad se pertinet, nec est ibi aliqua excitatio necessaria.

PROBATUR 2. Posito verbo illo ita formato, sufficienter est illud verbum quantum de se manifestativum mentis, ergo sufficienter per illud perficitur locutio; cum locutio sit manifestatio mentis alteri. Ant. probatur; Tum quia directio voluntatis est sufficiens manifestatio propter ordinem ad audientem, nexumque cum illo, ergo cum etiam hic ordo, nexumque

reperia-

reperitur in tali verbo; tale verbum erit sufficienter manifestativum. Tum quia, si illud verbum, non esset de se sufficienter manifestativum mentis, & diceret ordinem essentialem, nexumque ad manifestandum alteri & non diceret: diceret quidem ut supponitur ex explicitatione sententiae: non diceret autem, quia non esset sufficienter manifestativum: Quomodo enim essentialiter aliquid est ad manifestandum, si non est sufficiens manifestare? Tum quia verbum in sua specifica conditione non directum ad alium, est ipsi noscenti sufficienter representativum; Ergo & verbum in sua specifica conditione dicens nexum ad manifestandum alteri, erit eidem sufficienter manifestativum.

PROBATUR 3. Quia in primis hæc Explicatio est conformis ad locutiones nobis per experientiam notas. Et ex alia parte salvat omnia, quæ in hac materia difficultatem habent: Salvat enim in primis quomodo possit uni loqui, quin loquatur alteri: Quia scilicet dicit nexum illius verbum non nisi cum hoc, idque ex conditione talis suæ formationis. Et sicut hæc ordinatio voluntatis ad hunc, facit ut non nisi hic noscat: Ita & nexus verbi illius cum hoc, faciet ut non nisi hic noscat, supposito pro utraque parte iure secreti, aliàs explicato.

Deinde salvat, quomodo non omnes nostræ intellectiones sint locutio: Nam non omnes dicunt istum ordinem. Ostendit item, quid de novo tunc ponatur: nempe ipsa intellectio, habens talem ordinem, suæ conditioni innexam.

Ostendit insuper, quomodo unus Angelus alteri mentiri, eique æquivocare possit: Quia potest habere cogitationes tales directas ad alium, quales nos habemus, dum dirigimur ut æquivocemus.

Denique per hanc sententiam conciliantur alia. Nam cum sententia Vasquez coincidit ponendo locutionem esse intellectionem. Concordabit cum sententia Arriaga requirendo applicationem intellectus ad formandum tale verbum, sitque ex imperio voluntatis. Nihilominus non in sola volitione statuimus locutionem; quia experimur, nos, saltem interdum interius, aliis loqui, sine ulla ordinatione voluntatis quæ tali. Nec hanc locutionem statuimus in cognitione reflexa; quia experimur nos interne loqui alteri, non reflectendo nos, quod cogitemus, taliter illi loquendum esse, sed procedendo ad directam formationem, jam descripti verbi mentis.

OBJICITUR 1. De hoc ipso quæritur, quomodo illa ipsa manifestatio perficiatur?

RESPONDETUR. Elicitivè perfici illam ab intellectu, formaliter autem stabit prædicatis, quæ explicuimus.

OBJICITUR 2. Ex dictis deberent esse multæ actus nostri manifesti; imò & angelici; quorum tamen occultatio, esset bonum naturæ intellectualis. Ut si ex primo motu indignabundè unus loquatur alteri.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum, & inquirendo quid sit futurum, si aliquis subitaneo motu, velit alteri manifestare suum conceptum? Si dicas hoc ipso exire illos ex iure secreti, subdique juribus communibus noscendi, idem & nos dicemus. Quod si dicas, quod locutio debeat esse communicatio libera & voluntaria propriæ mentis, utpote bonum appropriatissimum, libere operanti, naturæ rationali, cumque hæc libertas non sit in subitaneis motibus; hinc sequi, quod nec illis perficiatur locutio: Idem in præsentem nos dicemus, quod bonum locutionis sit bonum advertentis naturæ rationalis appropriatum, quæ advertentia non salvatur in subitanea illa verbi formatione.

OBJICITUR 3. Hæc sententia supponit locutionem unius Angeli ad alium consistere in actu aliquo immanente loquenti, quæ in audientem non transeat, quod non potest dici: Quomodo enim ad audiendum determinetur?

RESPONDETUR. Sicut ipsum objectum præsens, complet speciem Angeli, ut in illius objecti notitiam prodeat, nihil agendo vel in speciem, vel in intellectum Angeli: Ita idem fieri poterit in præsentem; sufficietque sola immutatio intellectus Angeli audientis, stans in actuali perceptione ejus objecti, quod illi manifestatur.

QUÆSTIO III.

De Actione Angeli, quæ est illuminatio.

SPECIES locutionis est Illuminatio: Omnis enim illuminatio est locutio, quamvis non omnis locutio, sit illuminatio: Nam inferiores Angeli loquuntur etiam superioribus, non tamen illos illuminant. Tota difficultas in præsentem est quid sit illuminatio: Nam ex hac explicatione pendet, quinam Angeli, & in qua materia illuminent? In quibus duobus tota hæc materia vertitur. Neque enim jam disputatur, An de facto detur Illuminatio: Supponitur enim ab omnibus contra Durandum eam dari, propter auctoritatem Dionysii de Cæl. Hier. L. cit. c. 14. *Hæc lex à Deo sancita est, inquit, ut in unaquaque Hierarchia & primi sint, & medi, & postremi ordines; inferiorumque superiores Doctores sint, eisque quasi digito, viam monstrant.* Similia habet Damasc. Lib. 2. de Fide orthod. c. 3. Bern. L. 5. de Consid. c. 4. Et alii apud Joan. à S. Thoma disp. 25. a. 2. & ante illum apud Suarez L. 6. c. 11.

EXPLICANT 1. aliqui. Quod Illuminatio sit locutio angelica habens has condiciones.